Tertius Dei gratia REX Poloniæ, MAgnus DVX Lithuaniæ, RVssiæ, PRVssiæ, Samogitiæ, Masouiæ, Liuoniæq3 &c. Nec non SVecorum Gottorum Vandalorumq3 hæreditarius REX. SIgnificamus præsentibus literis nostris quorum
interest vniuersis & singulis. Exhibitum nobis esse decretum Serenissimi olim Stephani Regis Antecessoris nostri à Consulatu Ciuitatis nostræ Vilnen. inter ipsos & Pileatores ratione pensionis annuæ latum, simulq3 nobis esse expositum nonnullos Pi:
leatores præsertim eos qui præter Iurisdictionem Prætorianam sub varijs & diuersis Iurisdictionibus degunt pensionem eam Officio & Dispensatoribus Ciuilibus vltro à se concessam soluere nolle. Peteris eiusmodi Decretum maioris firmitatis causa A
ctis Cancellariæ nostræ Magni Ducatus Lithuaniæ ob omnem euentum inseri, illudq3 à nobis clementer confirmari. Quod cum ex controuersia partium latum esse animaduerteremus, petitionemq3 dicti Magistratus Ciuilis æquam videremus, cupien:
tes tam nostra quam antecessorum nostrorum Decreta firma ac inuiolata cunctis sancte seruare, ac quod alijs Ciuitatibus consueuimus etiam Ciuitatis nostræ Vilnen. publicæ vtilitati consulere Decretum eiusmodi authoritate nostra ipsis confirmauimus
& roborauimus, prout præsentibus lris nostris confirmamus & roboramus temporibus perpetuis, omnibus & singulis mandantes ne quispiam cuiuscunq3 ille dignitatis vel eminentiæ fuerit eidem contrauenire audeat, siquidem pensio annua à Pileatoribus con:
corditer concessa, Contubernij & fraternitatis ipsorum Magistris Senioribus suo ac Collegarum suorum nomine consentientibus sit manifeste comprobata. Cuius quidem Decreti hic tenor de verbo ad verbum sequitur: STEPHANVS Dei gratia
REX Poloniæ, Magnus DVX Lithuaniæ, RVssiæ, PRussiæ, Masouiæ, SAmogitiæ, Liuoniæq3 &c. PRinceps Transyluaniæ. SIgnificamus præsentibus lris nostris quorum interest vniuersis & singulis harum notitiam habituris. VOcatos fuisse
ad nos Iudiciumq3 nostrum citationis nostræ literis MAgistros & SEniores omnes in solidum Artificij & FRaternitatis Pileatorum Ciues Vilnen. Ad instantiam Magistratus Ciuitatis Vilnensis pro eo: Quia antecessores ipsorum & ipsimet soli, qui adhuc vsq3
tempus in viuis existunt in anno proxime præterito Millesimo, Quingentesimo, SExagesimo conscriptis in REgestro nominibus & cognominibus omnium confratrum suorum eiusdem Artificij beneuole pro se & successoribus suis futuris, quicunq3 voluerint
eiusmodi Artificium Pileatorum in posterum laborare, & in eius vsufructu cum illis esse ad Acta Consularia Ciuilia Vilnensia sese inscripserunt & obligauerunt vt ad ærarium publicum pro commodo Reipub. Ciuitatis Vilnen. quilibet illorum eiusdem Opificij Ma:
gister ab eodem Artificio suo pro quolibet anno per triginta grossos Lithuanicos certo tempore vest pro festo S. Ancti Nicolai in Autumno persoluere & tradere teneatur. Iuxta quam COnstitutionem & obligationem suam beneuolam eiusmodi Prouentus
ab eo tempore vsq3 ad annum proxime præteritum Millesimum, Quingentesimum octogesimum persoluebant, suæq3 obligationi authenticæ satisfaciebant: Nihilominus anno eodem sine scitu & voluntate Magistratus & omnium Officialium Ciuilium tanquam
fuerint PRæfectorum expedito sibi à nobis PRiuilegio super hoc idem Artificium Pileatorum contra priorem beneuolam obligationem submissionemq3 suam & contra ius, consuetudinem, ac vtilitatem antiquam Ciuilem Vilnen. ex quo in omnibus Ciuita:
tibus ordinationes Ciuiles omnium mechanicorum & obedientia ipsorum per officium Ciuile primo articulatim constituitur, omnesq3 Constitutiones & traditiones Contubernijs statuuntur. Demum per PRincipem supremum confirmantur et roborantur. Sub prætextu
itaq3 PRiuilegij à nobis per eos contra Ius & consuetudinem Ciuilem intergum & illegitime obtenti, nescitur qua ducti temeritate et pertinacia, prouentum quotannis ad ærarium publicum Ciuile soli constitutum reddere negligunt, noluntq3. Tum etiam rationem ex prouentibus
& expositis eiusdem Artificij Pileatorum coram ipsis ex antiquo fieri consuetam, iam ab annis aliquot facere nolunt, recusantq3, & aliqui ex ipsis ad hoc vsq3 tempus ius Ciuile suscipere, iuramentumq3 super obedientia Magistratui Ciuili Vilnensi præstanda more aliorum om:
nium Ciuium ex eadem temeritate sua subijcien se quidam ex eis defensæ et Iurisdictioni quorundam Magnatum Magni Ducatus Lithuaniæ ex eadem obedientia et Iudicio Ciuili contra omnes libertates Ciuiles se exuen. & à Iurisdictione Ciuili sese alienan. Officio
et Magistratui eidem Ciuili in minimo obedientes esse volunt. De quibus omnibus Officium Ciuile Vilnense cum ipsis coram nobis controuertere, & hoc contra eos publice deducere paratos se obtulerunt. petentes quatenus præfati Pileatores secundum priorem
obligationem & beneuolam submissionem, suam eiusmodi Prouentus per eos ab annis aliquot retentos ad ærarium Ciuile & quilibet illorum persoluant, rationemq3 et calculum pro annis proxime elapsis faciant, vsq3 in posterum temporibus perpetuis quolibet
anno ex prouentibus suis coram Consularibus eandem rationem præstent, nec à Iurisdictione obedientiaq3 Ciuili amplius discedere audeant, verum omnem obedientiam & honestatem decentem Magistratui & officio Ciuili mediante Iuramento suo exhibeat,
vti ea omnia in ipsis Citationis nostræ literis fusius & copiosius descripta habentur. IN termino itaq3 Citationis hodierno hucusq3 ex limitatione nostra, generali Causarum Ciuilium Magdeburgensium in Relationibus nostris proprijs coram nobis & Iudicio no:
stro legitime proueniente & continuato, Pars Actorea vest Magistratus Ciuilis Vilnensis per Nobilem Foelicem Mscicikowsky ferendarium & plenipotentem suum. Citata vero per Nobilem Andream Wodzinsky suum Procuratorem, & per Bar:
tholomeum Andrzeiowicz Pileatorem confratrem suum & Magistrum SEniorem Artificij eiusdem Pileatorij tunc temporis existen. personaliter comparuerunt, & eum ipsum terminum attenderunt. Actorea quidem contenta Citationis suæ processu
& ordine Iudiciario contra Citatos vrgente atq3 deducente. Conuenta vero secundum PRiuilegium à nobis sibi concessum & conditiones in eodem PRiuilegio descriptas se conseruari, & ab impetitione partis Actoreæ, solutioneq3 triginta grossorum
Lithuanicorum pro quolibet anno se liberos pronunciari petente. Parte itidem Actorea per memoratum plenipotentem suum conditionem ne vest Conuenti ab ipsa inscriptione, constitutione, & obligatione superius nominata, solutione quoq3 prouentuum
eodem PRiuilegio eorum non obstante denegante, atq3 secundum eandem Constitutionem & obligationem submissionemq3 illorum beneuolam antiquam iterum atq3 iterum se conseruari postulante. NOS cum Consiliarijs nostris lateri nostro tunc assi:
dentibus, probationibus & deductionibus partis Actoreæ exauditis totaq3 controuersia coram nobis & Iudicio nostro vtrinq3 agitata bene discussa, et intellecta ex rationibus per supramemoratum Plenipotentem Magistratus Ciuilis Vilnen. deductis et allegatis,
decernendum duximus decernimusq3 per præsentes PRiuilegium Contubernij seu fraternitatis Pileatorum in suo robore secundum omnes & singulas conditiones in eo contentas conseruari debere. Nihilominus quoniam in eodem PRiuilegio ipsorum
non constat vtrum à solutione triginta grossorum pro ærario Ciuili annuatim sint exempti. Ideirco eandem contractum eum Magistratu Ciuili Vilnensi per ipsos semel initum inscriptum & obligatum præsenti decreto nostro in robore in omnibus clausulis
& conditionibus temporibus perpetuis reseruamus. Retenta vero & pensionem suprascriptam singulis annis Officio Consulari Vilnensi quamprimum per hoc idem Officium Consulare Vilnense vigore eiusdem decreti nostri requisiti fuerint persoluere
in totoq3 suæ inscriptioni satisfacere decreuimus hoc nostro decreto mediante. In cuius rei fidem Sigillum nostrum est appressum. Actum & Datum GRodnæ die vigesima Mensis Iunij Anno Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Sexto.
Leo Sapieha M. D. Lithuaniæ Vicecancellarius. IN cuius rei fidem et testimonium Sigillum nostrum Mag. Ducatus Lithuaniæ præsentibus est appressum. Datum Vilnæ die Mensis Martij Anno Dni M. D. C. II. Regnorum vero nostrorum Po.

N.o 89 — 1486

Zgromadzenia 3.e № 11

№ 4.

Dochod Roczny od Czapecznikow, po gr. litt 30.

№ 89

89

11. A

13

Виленская Публичная
БИБЛIОТЕКА.
B-225

Центр. Арх. № 15607.

N.o 85

№ 43.

strowj Czapecznikow